



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXIX. Per peccatum mortale amitti dignitatem, mobilitatemque, quâ
quis est de stirpe Dei, eiusque per adoptionem filius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

sequatur; sic vos currite per viam ob-
servantiæ legis Dei, non retrogreden-
tes per vllum mortale peccatum, nec
in illâ per tepiditatem subsistentes, sed
magnâ cum fortitudine, constantiâ-
que perseverantes, donec ad vitæ tem-
poralis finē perueniatis, & altissimum
æternæ gloriæ præmium consequami-
ni, Et qui in hac viâ ceciderit, per pœ-
nitentiam, quâ tanta iactura refarci-
tur, surgat.

*Per peccatum mortale amitti dignitatem,
nobilitatemq̄, quâ quis est de stirpe
Dei, eiusq̄, per adoptionem
filius.*

C A P. XXIX.

ALtissima dignitas, summaque no-
bilitas est, excedens, ac superans,
quicquid dicere, & cogitare possu-
mus, hominem fidelem esse de stirpe
Dei, eiusque filium per gratiam. Hoc
significavit S. Ioannes, dicens: a Sc-

O 7

tis,

a 1. Ioannis 2. 29.

ris, quoniam Christus Dominus noster iustus
 est. scire quoniam & omnis, qui facit ius-
 titiam, ex ipso natus est. Quasi dicat:
 Cum Christus, qui est verus Deus, &
 verus homo, in quantum Deus, sit ius-
 tus per essentiam, & sit ipsa iustitia,
 ac sanctitas; sequitur, omnem homi-
 nem, qui iustus est, & iustitiam opera-
 tur, esse generatum virtute, meritoque
 Christi, & esse per gratiam natum eius
 filium: quandoquidē ille, qui bonum
 aliquod participatum habet, id acce-
 pit ab eo, qui illud habet per naturā,
 qui est Deus; & sic à Christo, in quan-
 tum Deo, venit omnis nostra iustitia,
 tanquam à primā causā; & à Christo,
 in quantum homine, procedit omnis
 nostra virtus, ac sanctitas, tanquam à
 causā meritoriā, & tanquā ab instru-
 mento diuinitatis. Postquam S. Iohan-
 nes hæc verba dixit, quibus declara-
 uit, quomodo iusti sint de generatione
 Dei, & ipsius Dei filij, mox declarat
 altitudinē huius dignitatis, dicens:

Vide.

a Cap. 3. 1.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & verè tales simus. Ac si dicat: Benè considerate, quàm immensum, & ineffabilem erga nos amorem noster Deus, & Pater caelestis habuerit, nobisque manifestârit, concedendo nobis, ut nominemur eius filij, & reipsâ tales per bona gratiæ ipsius simus. Considerate, ac perpendite valdè seriò beneficium incomparabile, quod in hoc nobis tribuit, liberalitatem, largitatemque summam, quâ in eo erga nos usus est, ex infinitâ eius charitate profectam. Totum hoc significat S. Ioannes in eâ sententiâ: *Videte, qualem charitatem nobis dedit Deus, ut filij ipsius nominemur, & simus.* Et est reuerà immensum Dei beneficium, summumque hominis bonum, esse filium Dei; nam filius debet habere naturam patris, & pater per naturalem generationē debet se ei communicare; adeoque cum Deus hominem suum filium non fictè, & apparenter, sed verè, & realiter per gra-

gra-

gratiam, ac legitimam adoptionem faciat, consequens est, ut modo possibili, tanquam Creator creaturae, communicet ei summam diuinam naturam, & iustus per gratiam participet Diuinitatem Dei; utque sicuti naturalis Dei Filius per æternam generationem eandem infinitam naturam habet, quam habet Pater, ita iustus per spirituales generationem factam in tempore, sit *diuina a* (ut S. Petrus loquitur) *conspira natura*, hoc est, habeat quadam ratione per gratiam id, quod Filius naturalis habet per naturam. Ad filium quoque, qui habet bonum patrem, à quo bonam doctrinam, bonisque exemplis institutus, & educatus sit, pertinet, habere spiritum, virtutem, bonamque conditionem patris. Et quoniam Deus pater, est iustorum, & infinitæ bonitatis, qui eos cum summâ curâ, amoreque educavit, sequitur ipsum communicare illis suum spiritum, & facere eos suæ conditionis, & ut sentiant de rebus, sicut

a 2. Petr. 1. 4.

sicut ipse sentit, ut ament id, quod ipse amat, utque in omnibus eius perfectio- nibus potentiae, bonitatis, ac sapientiae, & in omnibus ipsius moribus pietatis, misericordiae, longanimitatis, & cha- ritalis ei sint similes. Ita docet Apo- stolus, ad Galatas dicens: *a Quoniam per viam Fidem estis filij Dei, misit Deus Pater Spiritum Filij sui, qui est ipse Spiritus eius, à Patre, & à Filio procedens, eumque infudit in corda vestra, & habitat in eis per suam gra- tiam, & dedit vobis magnam fidu- ciam ad clamandum, Abba, Pater, cum maximi ardentissimi que amoris affe- ctu. Adhuc cum iusti sint filij Dei, oportet esse fratres IESU Christi; qui enim habent unum patrem, fratres sunt: & quia Christus est Filius Dei viui, & iusti sunt filij Dei, sequitur eos esse il- lius fratres; quales reuera sunt. b Et quamuis ille sit Filius per naturam, hi per gratiam, tamen non dedignatur*

eos

a Ad Galat. 4. 6.

b Ad Hebr. 2. 12.

eos vocare fratres, & pro fratribus habere: imò tanti facit, nos habere fratres, vt ipse cum æterno Patre egerit, vt nos admitteret in ipsius filios, suos fratres, cælestisq̃ue regni cohæredes. Et ad hoc merendum ab æterno Patre suo, nosq̃ue ad talem dignitatem disponendos & exaltandos, Crucis tormenta, opprobriaq̃ue passus est. Ac per hoc medium impletum est, quod Deus ab æterno decreuerat, iustificare peccatores, suosq̃ue filios, & gloriae suæ hæredes facere; quemadmodum declarat Sanctus Paulus, dicens: *Quos Deus approbando ab æterno præsciuit; firmo decreto & prædestinavit conformes, similesq̃ue fieri imaginis Filij sui in eo, vt sicuti ille est vnicus, & naturalis Patris sui Filius, & plenus gloria, infinitaque pulchritudine, sic ipsi sint adoptiui filij Dei per gratiam, & gloriae, atque æternæ pulchritudinis eius participes; & hac ratione sint imago Filij ipsius, vt qui est vnicus, ac natura-*

a *Ad Rom. 8, 29.*

turalis Patris sui Filius, multos habeat fratres, & inter eos, tanquam omnium caput, principatum teneat. O quàm alta dignitas, ô quàm ineffabile bonum, ô quàm illustris gloria, hominem esse de stirpe Dei, filium Dei, fratrem IESV Christi, & participem naturæ divinæ, habere spiritum Christi, esse hæredem gloriæ eius, eamque cum ipso in æternum possidere! Si inter homines magni æstimatur, quòd quis sit de sanguine regio, multarumque provinciarum dominus, & pluris, quod sit eiusdem regis filius, & regni ipsius hæres; quanti inter homines, & inter Angelos æstimari debet, esse aliquem de prosapiâ Dei, filium ipsius Dei, cælestisque regni eius hæredem? *a Charissimi,* inquit S. Ioannes, *nunc, præsentis hoc tempore, per gratiæ dona filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quid sumus, nec quid in æternitate erimus: cum hoc apparuerit (quod erit quando anima è corporis istius habitatione exibit,*

2. *1. Ioannis 3. 2.*

bit, & perfectiùs in vniuersali iudicio) *scimus* certissimâ Fide, *quoniam* tunc ipsi Deo perfectiore similitudine, quàm nunc, *similes erimus; quoniam videbimus eum* lumine gloriæ facie ad faciem, *sicuti* in diuinâ suâ essentiâ est. Hæc tam sublimis dignitas, hæc tam clara, & illustris gloria, iustum esse de stirpe Dei, Dei filium, & fratrem Iesv Christi per gratiam, & diuinitatis, ac spiritûs ipsius Dei participem, amittitur per vnicum peccatum mortale. Et per idem mortale peccatum fit de stirpe Diaboli, ipsius filius, & maligni eius spiritûs, ac peruersæ conditionis particeps, & eiusdem æternorum tormentorum hæres: nam in diuinâ Scripturâ, quæ est Dei lingua, dicitur aliquis de genere, & filius illorum, quos imitatur in vitâ, & in moribus sequitur: Ac propterea Iudæis, qui valde superbiebant, quod essent de genere electo Israël, & de populo Dei, ceterùm in moribus non imitabantur Iacob, qui Israël dictus fuit, nec vitam

popu-

popu-
taba
rore
non
tiliu
& C
læ, a
beria
his v
dix t
pater
thæ
sunt
Isra
por
Abr
dice
seme
cieb
fere
bem
xit,
Abr
non
a. E

populo Dei dignam agebant, sed imitabantur in vitijs gentiles, eorumq; errores sequebantur, dicit ipse Deus, eos non pro filijs Israël, sed pro filijs gentium Chananæorum, Amorrhæorū, & Cethæorum, proq; hominibus malæ, ac peruersæ generationis illorū haberi. Hoc Ezechiel populo indicavit his verbis: Hæc dicit Dominus: *a Radix tua, & generatio tua de terrâ Chanaã: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa: hi, quos tu in malâ vitâ imitaris, sunt generatio tua, parentes tui. Et* Israëlitis scribis, ac Pharisæis, qui tempore Christi gloriabantur se esse filios Abraham, eiusque nobilitatis hæredes, dicentes: *b Pater noster Abraham est, semen Abraham sumus; & magni se faciebant, quasi filios Dei, seque tales ferebant, dicentes: unum Patrem habemus Deum, IESVS CHRISTUS D. N. dixit, eos secundū spiritum nō esse filios Abraham, quod ipsum in Fide, & pietate non imitarentur: illos esse in corde hominici-*

a. Ezech. 16. 3. b Ioannis 8. 33. & 39. & 42.

micidas, & Abraham talem non fuisse
 sed valde fidelem, & plenum misericordiâ
 virum; nec eosdem esse filios Dei, quòd
 non imitarentur Deum in charitate, amando
 eius Filium, quem ipse tantoperè amaret.
 Cuius ergo Domine, filij sunt, cum non sint
 filij Abraham, nec filij Dei? Ad hoc respon-
 dit idem ipse Dominus, dicens: *Vos ex
 patre Diabolo estis, & hic vester pater
 est: ille enim ipse homicida, & mendax
 est; & vos eum in hoc imitamini, qui
 me vultis interficere, & peruersa eius
 desideria facere: & odio habetis cal-
 stem veritatem, quâ dico vobis; & cum
 veritatem vobis dicam, non vultis mihi
 credere.* Sanctus item Ioannes genera-
 tim de omnibus peccatoribus, qui pec-
 catum mortale committunt, loquens
*filioli, inquit, nemo vos seducat: a Quo
 facit iustitiam, omnia Dei præcepta
 exequendo, ille solus iustus est ad imi-
 tationem Christi, qui est perfectè ius-
 tus: Et qui facit peccatum, ex Diabolo*

a 1. Ioannis 3. 7.

De gravitate peccati mortalis. 329

de eius stirpe, de eius factione, de eius
societate, & filius eius est: quoniam Dia-
bolus est malus, & in malitiâ suâ perse-
ueravit, ex quo peccare cæpit; & qui
faciunt peccatum mortale, imitantur
eum; & idcirco sunt de ipsius stirpe,
eiusque filij. Et in hoc manifesti sunt fi-
lij Dei, & filij Diaboli, quoniam omnis
qui natus est ex Deo, fugit, & odit pec-
catum; quia autem sunt filij Diaboli,
amant iniquitatem, ei que consentiunt.
Ita S. Ioannes. Atque in hoc ostendit,
ac docet nos Spiritus Sanctus omnes
homines, qui vel facto, vel desiderio
peccatum aliquod mortale commit-
tunt, quamvis in ceterorum hominum
oculis valdè præstantes, valdè nobiles,
generosi, magnique domini sint, & mi-
ram corporis pulchritudinem, gra-
tiamque habent, & pretiosâ domus
supellectile, & lautis vestibus, & famu-
lis abundant, esse reuera in oculis Dei
homines vilissimos, de malâ progenie,
valdeque abiectâ, & infami stirpe, quia
sunt de genere infidelium, quos malâ
suâ

suâ vitâ imitantur, & sunt filij Diaboli, quem sequuntur, & cui obediunt. Atque ita diuina Scriptura persæpe *filios Diaboli* vocat malos homines, quantumvis primarij, nobilesque in mundo sint. De filijs Heli summi Sacerdotis ait: *a Filij Heli erant filij Belial*, id est, Diaboli. Et de Nabal in Carmelo, homine ditissimo dixerunt eius serui: *b Ipse est filius Belial*. Et de Iuda Christus, *ex vobis*, inquit, *vnus Diabolus est*. Quis peccatum mortale, quod tantum infert damnum, non timeat, fugiatque? Vehementer homines ea delicta perimescunt, ob quæ coram mundo dignitate, nobilitateque suâ excidunt, cuiusmodi sunt prodiciones contra regem, hæreses contra Deam: Et ordinariè omnes valde timent pro hominibus humili loco natis, de quæ malo genere haberi, & hanc infamiâ, quantum possunt, fugiunt. Magnopere igitur timeamus, & velis, quod aiunt, remissique fugiamus omne peccatum mortale,

a 1. Reg. 2. 12. b Reg. 25. 17. Ioan. 6. 71

tale, siquidem quodcunque nobis ad-
mit dignitatem, nobilitatemque filio-
rum Dei, & nos tam ignobili loco na-
tos, tamque malæ generationis facit,
quàm est esse filios Diaboli, & de Sata-
næ familiâ. Faciamus iusta, sanctaque
opera, quibus Dei legem, diuinamque
eius voluntatem exequamur, & sic ab
hac vilitate, infamiâque, quod Diaboli
simus filij, nos liberemus, & dignita-
tem, nobilitatemque filiorum Dei, &
fratrum Christi tueamur; quemadmo-
dum nos Dominus admonuit, dicens: *a*
Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei,
qui in calis est, ipse meus frater, & soror, &
mater est. Et si per aliquod mortale,
peccatum hanc dignitatem, nobilita-
temque filiorum Dei perdidimus, aga-
mus statim pœnitentiam, quippe per
quam hoc damnum resarcitur. Per ip-
sam delet homo hanc notam, & infamiam,
quod Diaboli filius sit, & recu-
perat dignitatem, nobilitatemque filij
Dei. Id quod nos Spiritus Sanctus per

P

Oseam

a Matth. 12. 50.

Oseam Prophetam docuit. Cum enim peccasset populus Israël, dixit Deus illum non amplius populum suum, nec se eius Patrem esse. Et ad hoc expressius significandum, iussit Prophetam nomen filij, qui ei natus erat, vocare: *Non populus meus*. Nunquid vero Domine, remedij erit, ut hic populus iterum fiat populus tuus, & tu illius Pater? Vtique ait Dominus remedium esse, idque declaravit, dicens: *In eodem loco, ubi dictum fuit populo Israël Non populus meus vos, dicetur eis: filij Dei viventes vos estis*. Hic locus est Ecclesia Christiana, in qua peccatores per Christi Fidem, & per Sacramentum poenitentiae ex alienis à Deo, ac Diaboli filijs fiunt amici, & filij veri Dei.

a Os. 1. 9.

☉(o)☉